Quelle: http://manuscripta.at/?ID=499
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



268

ado in ciuitatem galilee cui nomen nazareth ad virginem desponsata
viro cui nomen erat ioseph de domo dauid et nomen virginis maria et in
gressus angelus ad eam dixit Ave gratia plena dominus tecum benedicta tu in mu
lieribus Que cum audisset turbata est in sermone eius et cogitabat qualis
esset ista salutatio Et ait angelus ei Ne timeas maria inuenisti gra
tiam apud deum Ecce concipies in utero et paries filium et vocabis
nomen eius ihesum // hic erit magnus et filius altissimi vocabitur Et
dabit illi dominus deus sedem dauid patris eius et regnabit in domo iacob
in eternum et regni eius non erit finis // dixit autem maria ad angelum
Quomodo fiet istud quia virum non cognosco Et respondens angelus dixit
ei Spiritus sanctus superueniet in te et virtus altissimi obumbrabit tibi
Idcoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius dei Et ecce elizabeth
cognata tua et ipsa concepit filium in senectute sua et hic mensis
est vi illi qui vocatur sterilis quia non erit impossibile apud deum
omne verbum dixit autem maria Ecce ancilla domini fiat mihi secundum
verbum tuum Et discessit ab illa angelus Exurgens autem maria
abiit in diebus illis in montana cum festinatione in ciuitatem iuda
et intrauit in domum zacharie et salutauit elizabeth Et factum est ut
audiuit salutationem marie elizabeth exultauit infans in utero eius
et repleta est spiritu sancto elizabeth et exclamauit voce magna et dixit bene
dicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui Et unde hoc mihi
ut veniat mater domini mei ad me Ecce enim ut facta est vox salutationis
tue in auribus meis exultauit infans in gaudio in utero meo
et beata que credidit quoniam perficientur ea que dicta sunt ei a domino Et ait maria
Magnificat anima mea dominum Et exultauit spiritus meus in deo salutari
meo Quia respexit humilitatem ancille sue ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes Quia fecit mihi magna qui potens
est et sanctum nomen eius Et misericordia eius a progenie in progenies time
tibus eum // fecit potentiam in brachio suo dispersit superbos mente
cordis sui deposuit potentes de sede et exaltauit humiles Esurientes
implenit bonis et diuites dimisit inanes Suscepit israel puerum
suum recordatus misericordie sue Sicut locutus est ad patres nostros abraham et
semini eius in secula // mansit autem maria cum illa quasi menses tres et re
uersa est in domum suam et inuenta est in utero habens de spiritu sancto
Ioseph autem vir eius cum esset iustus et nolens eam traducere no
luit occulte dimittere // hec autem cogitante Ecce angelus domini apparuit
ei dicens Ioseph fili dauid noli timere accipere mariam
coniugem tuam quod enim in ea natum est de spiritu sancto est peperit autem filium
et vocabis nomen eius ihesum ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis
eorum // hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est a domino
per prophetam dicentem Ecce virgo in utero habebit et pariet filium et vocabitur
nomen eius emanuel quod est interpretatum nobiscum deus // Exurgens